

De senatu Romanorum

tractatus

~~No. 96.~~

auctore

1824 Jan. 1

L. J. Wiedemann.

Münd. vers. u. Submissionssad. d. 15. May 1824

Romulus, virgine vestali natus, cum Numitori, avo ma-
 terno, ut in Livii Historiarum libris legimus, Albae
 regnum restituit, cum tribus hominum milibus
 ad urbem condendam Alba profectus. In colle Palatino
 sedem constituit. Ibi parvae quidem urbis, ad totius
 fere mundi caput quondam futurae, fundamentis jac-
 tis, ita se ad incrementis regni optime consulturum
 ratus, si consilium viribus adjungeret, ex civium nu-
 mero centum, qui ceteros omnes aetate atque prudentia
 anteciperent, Romulus elegit, quibus cum rempublicam
 administraret. Horum concilium senatus, ipsi senatores
 appellabantur. Primis illis senatoribus ex iis tantum electis,
 quos fecund Romulus duxerat, postea, civitate cum
 Sabinis communicata, totidem ex hac gente adscripti
 sunt, quem quidem ducentarum senatorum numerum
 neque Numa auxit, nec Tullus, nec Ancus. Tarquinii
 Priscus centum adhuc senatores allegit, ut omnino
 trecenti essent, quos trecentis equitibus Sylla postea au-
 xit. C. Caesaris tempore congesti, sub triumviris mille
 ferme senatores fuisse, quarum numerus ab Augusto
 quidem ^{magis} ~~diminutus~~, sub sequentibus autem singula-
 ribus major, nec satis certus erat. - Senatoriam quoque
 dignitatem, quod Dionysius Halicarnassensis tradit, Sabinis
 Romanisque communem fuisse, Livius negat; verum equi-
 dem Dionysium quam Livium sequi malleam. eundem enim
 regnum Romulo atque Tatius regi commune esset,
 quis credat, ejus dignitatis, quae in civitate praestan-
 tissima esset, Sabinos expertos fuisse? quae ista inter

duos populos communia quære concordia fuisset?

Senatorum lectio varia fuit, nam penes reges, consules et censores legendi; senatus aliis utique aliis temporibus potestas fuit. Parro in senatoribus legendis generis, ordinis, census, ætatis et magistratus habitam esse rationem reperio. Generis, ut ex iis familiis, quibus senatus pateret, legerentur. patuit perinde primum patricii tantum, post etiam plebeiis. Romulus enim et Tarquinius Priscus non nisi ex patriciis quinquam senatorum creasse a Dionysio Halicarnasæo traduntur. Si Varonem historicum audias, Servium Tullium, sic Festi verba attendas, Publicolanum, Brutum, primum post reges expulsos consules, collegam primum plebeios in senatum vocasse putabis. - Ordinis quidem ea fuit ratio, ut, cum in senatum legendi essent, maxime ex senatorio equestri ordine, qui senatorio proximus esset dignitate, legerentur. quare equites seminarium senatus a nonnullis appellatos legimus. Censuræ ordinis senatorii ab initio quidem festeritium octingenta millia fuisse, ab Augusto autem imperatore usque ad duodecies festeritium ampliatum esse, Puetonius tradit in vita Augusti. ^{Ita} Quam ætas in legendo senatore certa semper observata sit, dubitari licet. Quum non nisi is, qui magistratum quendam gessisset, senator fieri, neque

quaestura, omnium magistratum minime ante annum vigesimum ætatem adiri non posset, equidem hanc ætatem senatoriam fuisse crederem, nisi Dio Cassius ætatem, quæ quis in senatum recipi posset, annum viginti quinque fuisse diceret. - Ceterum senatus omnibus magistratibus, lege Atinia nec non tribunis plebis, patebat. Non vero illud hoc loco prætereundum est, qui in senatum veniant, non omnes senatores fuisse, verum eas tantum senatores appellatos esse, qui a censoribus vel aliis, qui ius senatus legendi haberent, lecti essent, alios enim fuisse senatores, alios, quibus sententias dicere fas esset, hi enim erant, quibus, magistratus functis, quamquam a censoribus lecti non essent, in senatum venire licebat.

In cavendis senatoribus sedulo cavebant, ne quid contra decorum fieret, nec enim præco, haruspex, histrio unquam senator legi poterat, nec senatorum quisquam histionis filium ducere aut mercaturam, nisi per libertos, facere ausit. Quod quidem observatum non dubito, ne sordibus illiberalis quaestus majestas civis amplissimi pollueretur. Vidimus in supra expositis

(Quin possit
negationem
aut interrog.
ationem.)

qui et quomodo senatoriam dignitatem adipisci
poterant; videamus nunc, quomodo et quibus
de causis amittebatur. Qui copiarum suarum
partem amiserat, nec senatorio censui, de quo
supra diximus, par erat, a censore venatu mo-
vabatur, ita tamen, ut, si amissa recuperasset,
rursum recipi posset. Sin turpi iudicio, ut, facti,
quis condemnatus erat, non ad tempus sed in per-
petuum senatoria dignitate privabatur; quod
tamen fieri non potuit, nisi unanimi omnium
censuram consensu, reus damnatus erat. Non
alienum puto huius loci, de insignibus et offi-
ciis senatorum quaedam dicere. Insigne erat se-
natorum, quo a ceteris ordinibus ^{Distingue} ~~separabatur~~
latus clavus. Praeterea calceos gestabant albos,
coccineos vel phrygioneos, loris nigris prae-
ditos, lunulaeque eburnae, secundum alios ar-
gentae, subtus ornatae. Annulus aureus or-
dini senatorio cum equestri communis erat.
In theatris amphitheatrisque senatores sedes
scenae proximas tenebant, quae in illis or-
chestrae, in his podium appellabantur. Pri-
mum ac praecipuum senatorum officium in
eo positum erat, ut quam rarissime senatus

42
conventibus intersse negligenter. Nec igitur,
nisi percursum tempore, urbem relinquere, nec
nisi totius senatus permissione, muniti, extra
Italiam iter facere audebant. Saepo tamen
in provincias, ubi maxima senatoribus revere-
ntia habebatur, ituri, ne hac lege tenerentur,
legationis liberae beneficio usi sunt, ad quaestiones
faciendas in provincias mitti potenter. Qui per
praecoem, cum urbe, aut, cum rure esset, per via-
tores citatus non venit, pro rei tractandae ma-
gnitudine interdum praemunita vel pignore ca-
pto luit.

Locus, quo conveniebat senatus, inauguratus quidem
semper, non vero omni tempore semper idem.
Principio curia Hostilia patres ex-
cipiebat, postea curia Julia aut alius qui-
vis locus inauguratus, qui tantae hominum
multitudinis capax esset, ut templum Bellonae
Apollinis, Vestae, aliarumque Deorum vel
Deorum. Cicero, cum primam orationem Catu-
linariam habiturus esset, et in aedem Iovis
Patris senatores convocavit.

Debebant quidem convenire senatores salendis
Nonis et Idibus cuiusque mensis, et poterant
convocari praeter illos quocumque alio die

jubente scilicet illo quidem magistratu, po-
nes quem jus erat senatus habendi. Quod
quidem jus quin de eum spectaverit, qui
summand pro tempore in urbe magistratum
gereret, non dubium est. Itaque plerumque
a consulibus, interdum a praetore vel tribu-
no, necnon a dictatore, magister equitum
aliisque magistratibus extraordinariis sena-
tum convocatum esse legimus. Quicumque
illarum aliquid referre cupiebat, singulos se-
natores aut praecone aut viatoribus aut
edicto citavit. Raris sine tamen evenit, quod
senatores omnes aderant, et nisi maximi
momenti res erat, sexagenarii majoresque
ratio non veniendi veniam habebat. Quod
si praevideri poterat, senatum minus frequen-
tem futurum esse, hac opportunitate nonnulli
essi sunt ad consilia sua fraudulenter exe-
quenda; contra adversarii earum consulens vel
alium senatus praesidem senatum numerare
poposcerunt, etenim cum ne dimidia quidem
pars senatorum edesset, senatus consultum
fieri non potuit. Calendis Januariis quibus con-
sules magistratum iniebant, frequentissimus
Senatus esse solebat. - Quamquam supra, quo-

43
cunque die senatus haberi potuisse, dixi, id
tamen praeterire nolui, quod nec ante solis
ortum neque post occasum factum senatus con-
sultum valebat. De diebus, quos dicebant, co-
mitialibus, in calendario Romano libera C.
insignibus, quibus senatus haberi lege Pupia
prohibebatur, magna inter viros doctos recen-
tioris aevi controversia fuit, talesne essent,
quibus comitia haberi possent, an ^{quibus} debeant.
Præterea opinionem rectam fuisse, ex quadam
Macrobi loci constat. Si de rebus novis, quae
moram non ~~per~~^{rent} agerentur, comitia-
libus quaque diebus senatum haberi, quin
etiam comitia in alium diem differri posse,
in pluribus Ciceronis scriptorum locis inve-
nimus, sicut semel, et semel tantum, et
nocturnum senatum convocatum esse scribitur.

Postquam omnes, vel ex maxima saltem par-
te senatores convenerant, consul, antequam
ipse vel alius referret ad senatum, in atrio
ante aram ibi collocatam sacra aut preces
solemnes fecit. Tum in sella curuli consi-
dens aut finite aut infinite referebat, finite,
cum ipse, quod referret, haberet, infinite, cum
ipse nihil haberet, aliam quendam magistratum
ad referendum, quid velle, invitaret. Consul,

exceptis tribunis, omnium ceterarum magis-
tratum, vel ipsius collegae sui, relationem
si quid contra rempublicam ei inesse suspica-
batur, impedire potuit. Relatione peracta
sententias senatorum consul rogavit et postea
eos pronuntiavit, ita tamen, ut eas, quas non
e republica esse censeret, reticendi potestas
ipsi esset. In votis rogandis certus quidam or-
do a consilibus observari solebat, ita ut post
comitia consularia consules designati, antea
autem princeps senatus primus rogatus sit,
tum ad consulares, praetorios, aedilitios, tribu-
nitios, quaestorios viros progressi sunt. Princeps
senatus is scilicet vocabatur, qui intelligentis,
negotiarum scientia, fama, ceteros omnes prae-
ibat. Tandem inde a primordiis senatus Romani
principem senatus existisse e Dionysio Halicar-
nassens videmus, qui ita Romulum centum illos
senatores, de quibus supra diximus, legisse scribit,
ut ipse unum ex omnibus praestantissimum
designaret, cui, ipse ad bellum exiens, civita-
tis administrationem committeret, reliquos
autem singulis tribubus ternos prudentia ac
nobilitate claros, totidemque singulis curiis
ex patriciis maxime idoneos cooptandos per-

44
mitteret. Non vero omnes senatores sententias
dicebant, sed ii modo, quos rogare consuli placuit.
Reliqui, sedibus suis relictis, iuxta eundem se col-
locant, cuius sententiae quisque maxime as-
sentit, et propterea quod pedibus quasi in sen-
tentias aliorum ibant, pedarii senatores appel-
lati sunt. Ceterum, numerum eorum neque
certum nec omnibus temporibus ^{eum} fuisse
jam res ipsa docet. — Praecipuum factum est,
quod primi de sententia sua rogati, antequam
vota sua ederent, orationes haberent, aut ut aliam
quandam rem moverent, aut, id quod ageretur
perfici nolentes, ut dicendo diem eximerent, nam,
ut supra diximus, post occasum solis senatus con-
sultum fieri non potuit. fuit aliquis, aut sena-
tor aut magistratus qui referebat, in dicendo duas
pluresve res complectebatur, postulabatur, ut
divideret, id est separationem de rebus singulis tra-
siceret.

Ubi igitur, relatione peracta, consul, quod e re-
publica videretur, id ut quisque diceret, hortatus
erat, sententiaeque, quo modo memoravimus,
dictae et promulgatae erant, ad senatus consul-
tum faciendum progressi sunt. Tres autem cau-
sae erant, cum non statim vota dicebantur, ubi

animo. dicendo dies eximius erat, aut ne dimidia
quidem senatorum pars aderam, aut tribuni
plebis intercesserant, aut alius magistratus. Quibus
privibus casibus ad sequentem diem senatus dila-
tus, tertio vero ad populum res relata est.
Quodsi contra consulis opinionem quidam sen-
tentias tulerant, res iterum referri potuit.
Si tribunorum intercessionem populus re-
jecerat, "senatusconsultum" dicebatur, quod
senatus decreverat, vim approbaverat, "senatus
auctoritas". - Postquam sententia dicta et dis-
cessionem facta voluntas senatus apparuerat, secun-
dum id, quod majori parti videbatur, senatuscon-
sultum factum est. Princeps sententiae, id est,
cujus sententia plurimis placuerat, praeses sena-
tus, cum nonnullis senatoribus, quorum maxime
negotium intererat, remanserunt, alii omnes
a consule his verbis dimissi sunt: "non amplius
vos moramur, patres conscripti." Cujus senten-
tiae approbata erat, scribis dictavit senatuscon-
sultum, cui annis, dies, nec non nomina om-
nium, qui affuere scribendo, adjecta sunt. Postea
senatusconsultum literis consignatum in kaba-
lis recludebatur, nonnumquam tabulis aeneis
insculpebatur et in capitolio suspendebatur,

45
nonnumquam etiam apographum senatusconsul-
ti in templo Saturni reponebatur.

Transcamus jam ad praecipua munera et negotia
ad senatum spectantia. Senatus erat distribuere,
et ornare provincias; cura reddituum, aerarii pub-
lici et exercituumque non supplicationum om-
nium sive laetiarum sive tristorum; comitia ha-
bere & quaestiones criminum omnium in Italia
commissorum, ^{duobus} imperatoribus victoribus triumphos,
ovationes aut imperatoris titulum decernere,
hoc tamen non nisi ab exercitu suo imperatore
consalutati erant; leges ferre, quae vero, non
nisi a populo in comitiis confirmatae et appro-
batae valebant, at tamen nihil populus con-
firmare potuit, nisi quod antea senatus de-
creverat. Legationes omnes senatus decrevit,
legatosque, quos plerumque e suis ipsius numero
cooptaverat, mandatis instruxit, nec non ex-
ternorum popularium legatos excepit, quod qui-
dem mense februarii fieri solebat. Senatus denique
erat cura caerorum, ita ut nec aedes construi, nec
novum quodquam munus introduci nec solennia
quaecumque fieri possent nisi jubente senatu. quod
quidem ne leviter nec sine plebis fiducia fieret,
inde ex antiquissimis jam temporibus unus e
sacerdotibus, flamen Dialis, in senatum receptus
erat. Imminente magno periculo, uti conjura-
tione, majoremquam alio tempore, potestatem

usurpandi senatus fas erat. Tunc temporis de-
creto peculiari ejus argumenti, "darent operam
consules, ne quid detrimenti respublica caperet"
dictatoriam potestatem consulibus dare solebant.
Quodsi aberant consules, praetores tali man-
dato instruebantur.

Ceterum hanc quidem senatus potentiam non
omnibus temporibus eandem fuisse, sed inflata
tribunitia potestate aliquantum diminui-
tam, a Sylla restitutam, sub imperatoribus
autem magis magisque lapsam esse, omnibus
notum est.

Talis erat senatus Romanorum, tantumque,
et membrarum suarum peritia, prudentia et
honestate, et ipsarum ipsius consiliarum sapien-
tia atque constantia, gloriam atque aucto-
ritatem assequabatur, ut nullum in anti-
quitate insitutum inveniamus, quod cum
hoc conferre possimus, et jure meritoque, ut
Livius nobis tradat, a nonnullis ex regi-
bus constare senatum creditum sit.

